



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 145. An sit usura, si mutuem sub pacto, ut mutuatarius exequatur  
aliquid aliunde debitum ex justitia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

dum mihi vicissim frumentum, aut etiam ad e-  
mendum à me merces, hæc enim reciproca obli-  
gatio non imponitur ratione mutuationis, sed  
propter obligationem mutuandi, quæ est pretio  
æstimabilis, secundum dicenda n. 905.

8. Ut tibi remittat injuriam, nam remittere 892  
jus, quod quis habet in alterum ob læsum injustè  
jus suum, utique est onus novum, & inter homi-  
nes æstimabile pretio, *Mol. Less. Lug. Pirh. n. 29.*,  
Rectè tamen notat *Spor. n. 85.* te posse mutuare  
sub pacto, ut remittat vindictam injustam vel o-  
diū, petis enim, quod antecederet tibi debetur.

9. Ut lauderis, commenderis vel honoreris 893  
ab illo, *Spor. n. 84. Nec refert*, quòd laus, com-  
mendatio & honor non videantur pretio æsti-  
mabilia, nam obligatio illa præstandi est pretio  
æstimabilis, ac sæpe emitur ab hominibus, hinc  
quamvis *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2.* O dicat, pro mu-  
tuo licere exigere benevolentiam, amorem &  
alia ejusmodi, tamen *Valent.* cum aliis docet esse  
usuram ratione mutui illa exigere tanquam de-  
bita ex justitia, non enim potest vi mutui sic de-  
beri amor, sed ad summum ex convenientia vel  
gratitudine.

Q. 145. An sit usura, si mutuem sub pacto, ut 894  
mutuatarius exequatur aliquid aliunde debitum ex ju-  
stitia. R. Non esse, quia non imponitur onus in-  
debitum. Si autem detur, ut exequatur aliquid  
debitum ex præcepto Charitatis tantum, *Nav. &*  
*Salas* dicunt esse usuram, quia superadditur no-  
va obligatio justitiæ; *Mol. Castrop. & Spor.* negant,  
quia nihil petitur indebitum, & obligatio justi-  
tiæ, quæ superadditur, moraliter non æstimatur,  
imò maximè cedit in utilitatē mutuatarii, quem

obligat, ut contra charitatem non peccet; & hanc utramque sententiam vocat probabilem *Tamb.* l. 8. t. 3. c. 8. §. 2. n. 9. Quòd si tantùm deberetur ex gratitudine, rectiùs dicunt *S. Th. Mol. Less. Laym.* & alii fore usuram, quia gratitudo non obligat ad aliquid determinatum, sed potest expleri variis modis, v. g. orando pro benefactore.

895 Q. 146. *An sit usura, si quis mutuet sub pacto, ut alter statim in præsenti aliquid vicissim præster.* R. Si petatur velut conditio aut motivum mutuandi, *Adrianus, Ang. Maj. Mol. Less. Laym.* l. 3. t. 4. c. 16. n. 3. *Lugo* d. 25. n. 52. *Dian.* p. 1. t. 8. R. 60. negant esse usuram, quia posset nolle; ergo justè requirit motivum volendi. Addunt melicite mutuare sub pacto, ut quamprimum non ampliùs veneris ad meum molendinum, statim reddas mutuuum, non obligando ex justitia ad accedendum meum molendinum, sed relinquendo liberum, ita tamen, ut si non accedat, non sit accepturus mutuuum, vel mutuuum sit statim repetendum, est enim liberum statuere terminum mutuo, ita *Salas, Laym. Lugo* n. 53., sed rectè monent *Mol. Spor.* n. 36. & 82. hæc cavenda esse ob manifestum periculum usuræ palliatæ vel mentalis, nam alioqui similiter possem petere, ut in præsenti mihi dares 5. veluti motivum mutuandi 100.; nihilominus ob rationem datam, putant iidem AA cum *Pirh.* l. 5. tit. 19. n. 26. non esse usuram mutuare sub pacto, ut alter vicissim aliquid aliud in præsenti mutuet, nam mutuare in præsenti non est pretio æstimabile, ergo non petitur ut pretium, sed ut mera conditio, & meritò illi negatur gratia mutui, qui in præsenti non vult dare mutuuum: hinc etiam *S. Th.* 2. 2. q. 78.